Quando numerus datus est minor sinu toto, subtrahatur ex sinu toto: & quando est maior subtrahatur sinus datus ex ipso. Nam reliquus numerus erit sinus complementi arcus quæsiti, minor quidem quadrante, quando numerus datus est, minor sinu toto; maior vero quando est maior.

Secundò, quando numerus datus est Sinus versus complementi,

Fiat subtractione, ut prius. Estque in hoc casu numerus post subtractionem residuus, sinus rectus arcus quæsiti.

C.A.

C A N O N . I X.

Ex chorda Atrem effcere.

Sicutur chorda bisariam, & semissis quadratur sub titulo finium. Et arcus illi finui respondens, duplicitur hic enim arcus duplex est ille, qui quadratur.

P R O M I N U T I S S E C V N D I S,
& parte proportionali.

Canones præmissi supponunt arcus datos esse in gradibus, & in minutis primis tantum: item numeros datos esse ex eorum numero, quos tabula complectitur. Sequentes vero Canones dabunt leges etiam pro minutis secundis, & numeros. datos extendent etiam ad numeros in Tabula non contentos.

C A N O N . X.

Quid obseruandum quando minuta secunda negliguntur.

Tunc in Tabula accipiuntur numeri proxime minores, vel maiores, & haec praxis communiter usurpatur, quia communiter non requiritur maior scrupulositas, præsertim quando Problema propositum est solitarium, &

vniqa regula trium absoluitur. Loco igitur arcus G. 15. m. 7. Secund. 28. Licebit accipere arcum G. 15. m. 7. quia 18. secunda sunt citra semissim vnius minutti primi; si autem minuta secunda arcus dati essent plura 30. minutis se- cundis v. g. 43. tunc ratio postulat, ut pro ipsas accipiatur vnum minutum primum, & pro arcu dato sumatur arcus G. 15. min. 8.

Similis est ratio de Sinibus, Tangentibus, & Secantibus, quando in tabula non reperiuntur præcisè. Si enim datus Sinus esset 45 183. & pro ipso quereretur arcus, ejus loco accipere- tur Sinus 45 192. quia hic est ipsi vicinior quam Sinus 45 166. & arcus quæsitus diceretur esse G. 26. min. 52.

C A N O N X I .

*Quando Minuta secunda non peni-
tus negliguntur.*

Viam Geometricam non est, cur hic ingre- di tentemus. Longa est, & pluribus subfi- dijs indigeret. Alia cōpendiosior extat in Tabulis Palatinis, quæ saltēm dema minuta secunda non negligunt. Sed illas etiam decurrere patco- rum est. Vnde super est, ut aliqua saltēm diuerticula ad minuta secundaria, in tabulis nostris vulgaribus aperiamus.

Quando

*Quando pro arcu dato queritur Sinus
Tangens, &c.*

Exempli gratia; pro arcu g. 64. m. 5. sec. 37. ad quem in tabula quoad minut. prima proximè accedunt arcus gr. 64. min. 6. & g. 64. m. 54.

Arçus	maior 64. 6.	Sinus 89956.
	minor 68. 5.	89943

Differentia	min. 1	partes 13
	vel sec. 60.	

Differentes inter se min. 1. seu secundis 60. & sinus sunt 89956. 89943. differentes inter se partibus 13. ita ut 60. Secundis respondet differentia partium 13. Vnde pro secundis 37. argumentatur Logistæ hoc modo. Si 60. secundis debetur differentia Sinuum partium 13. quanta deberunt secundis 37? hoc est, secundum leges Regulæ trium. Multiplicant 37. per 13. & productū diuidunt per 60. & sic inveniunt pro 37. secundis differentiam partijum 8. fractionē enim $\frac{1}{60}$ omittunt quia minus valet quam $\frac{1}{37}$. Et hanc differentiam, addunt minori signi partium 89943. & numerum productum 89951. dicunt esse sinum arcus propositi gr. 64. m. 5. sec. 37. Eodemq. modo procedunt in Tangentibus, & Secantibus.

*Quando pro numero dato queritur
arcus.*

VT exempli gratia pro sinu 86957, qui in tabula non invenitur præcisè, sed proximè maior est 89956. & proximè minor 89943. differentes inter se partibus 13. & arcus dictis sinibus respondentes differunt secundis 60. Differentia vero inter minorem sinum, & major 89956
datum est 8. Sinus datus 89957
minor 89943

Vnde argumentantur iterum Logistæ hoc modo. Si differentia 13. minori arcui, gr. 64. m. 5.

addit 60 secunda: quot addet eidem differentia 8? Idq. affequuntur multiplicando 8. per 60. & productum 480. dividendo per 13. inueniuntq. secunda $36 \frac{1}{3}$ hoc est secunda 37. adiicienda minori arcui gr. 64. min. 5. ita ut arcus respondens sinu dato 89951. sit. gr. 64. m. 5. sec. 37. & ita de alijs.

Scholium.


HAEC Computistarum Praxis admitti quidem potest, in minoribus arcibus qualiter arcus minus minutus, & minutorum secundorum, sed in rigore geometrico falsa est. In figura enim hic apposita, arcus darus sit, exempli gratia, AB, proximè minor AC, & proximè ma-

ior AD eorumq. sinus sint BE, CF, DG. Sumpta igitur GH, æquali ipsi CF; erit DH, differentia sinus arcus proximè minoris, & majoris.

Et sumpta GK, æquali esse EB, erit KH, seu BM, differentia inter sinus AB, FC, & KH, vel BM, addita ad FC, seu EM: cōponet sinus EB, qui quæritur. Sed hæc recta BM, non est quarta proportionalis ad ar-

cus DC, CB, & ad differentiam sinus DH, EC. Neque enim est, ut arcus DC, ad CB, ita DH, ad HK, vel ad BM. Nam ut DH, ad HK, hoc est ad IL. ita est per 4. sexti DC, ad CI, sed DC, ad CI, est minor proportio, quam DC, ad CB, quia CB, est minor quam CI: & chordæ DC, ad chordam CB, est minor proportione arcus DC, ad arcum CB, per 10. proposit. sinus Clauij. Ergo etiam DH, ad KH. hoc est ad IL, vel ad BM minor est proportio, quam arcus DC, ad CB.

Nihilominus, quando arcus DC, est vnius tantum myri primi, ita ut arcus DC, ad CB, possint sumi pro lineis rectis, non potest esse sensibilis error, si dicatur proportionem DH ad KH esse eandem cum proportione arcus DC, ad arcum CB. talis enim esset per 4. sexti, si arcus DC, CB, reuera essent lineæ rectæ: hæc enim ratione essent duo triangula DHC, BMC, æquiangula propter parallelas DH, BM.



CANON XII.

*Quomodo vtendam sit nostris Sinibus
majoribus.*

A Pud Pitiscum omnes sinus respondent fini-
toci partium 100000. & tales sunt etiam
sinus nostræ tabulis, quoad figuræ, quæ versus
sumitram separantur à punctis, quibus ad dexte-
ram adiecimus aliquot alas præfertim eam ob-
causam, quam in proœmio insinuauimus, nimi-
rum, ut etiam illi sinus in promptu forent, ex
quibus secantes, & tangentes accuratiores com-
putari possint: id quod per sinus ordinarios fie-
ri nequit, magni enim numeri dñsūsi per paruos
non veros, non possunt in quotiente exhibere,
plures figuræ veras, quam sint in ipso diuisore:
Cūque hoc accidat in multis alijs quæstionibus
omnino videntur ijdem sinus maiores necessarij
etiam extra calculationem tangentium, & secan-
tium. Vnde necesse est, ut hic peculiarius co-
rundem usum doceamus, qui ita se habet. Si-
nui ordinario, hoc est, figuris illis, quæ sup-
ponunt sinum totum 100000 addatur fractio, &
fractionis numerator fuit figuræ in tabula sinus
ordinatio additæ, & denominator sit r. cum tot
cifris, quod sunt figuræ adiectæ. Factæ enim
multiplicatione, vel diuisione per huiusmodi si-
nus ex numeris integris, & fractione composi-
tas, inuenientur numeri multo accuratiores,
quam per solos sinus ordinarios. Iuxta hanc
præceptionem, sinus accuratior grad. i 4. m. 40.

est.

est $\frac{25544}{10000}$ &c. Neque tamen opus est addere semper fractionem constantem omnibus figuris adiectitijs, sed potest abbreviari fractio ad libitum omitendo unam duas tresve figure dextras, & diminuendo denominatorem totidem cifris. Loco enim fractionis $\frac{57179}{10000}$ posset ponи fractio $\frac{571}{1000}$ vel potius hæc $\frac{57}{100}$ addendo ultimæ figuræ 5. unitatem propterea quod sequens figura 7. sit maior quam 5. Erit tamen fractio eo accuratior, quo fuerit plurium figurarum. Modus autem computandi per hujusmodi fractiones non est difficilis, propter cifras, quibus constat denominator. Cifre enim neque multiplicant multiplicando, neque dividunt dividendo, ut constat ex Arithmeticæ practica.

De Angulis.

QUæ huc usque sunt dicta de Sinibus, Tangentibus, & Secantibus, &c. Omnia ipsisdem fere verbis referenda sunt quoque ad angulos, mutando nomen arcuum in nomen angulum. Nam per ultimam propositionem sexti Elementorum Euclidis, eadem est ratio arcuum & angulorum ab ipsis arcibus subtensorum, estque una eademque utroruunque mensura.

Sicut enim arcus, ita & anguli mensurantur gradibus & minutis. Ut exempli gratia, si arcus AF, est grad. 60. FB, 30. & FBC, 120. erit etiam angulus AEF, grad. 60. angulus FEB, 30. & FBC, 120. &c.

Nihil



Nihil igitur mirum, quod arcus & anguli omnia habeant communia, Sinus, Tangentes, & Secantes, &c. hoc est, quod verbi gratia perpendicularis FG sit sinus rectus arcuum EF, FC, & angulorum AEF, FEC, & perpendicularis FH sit sinus complementi eorundem arcuum & angulorum, immo eorundem arcuum, & angulorum tangens & secans sint rectæ AI, EI, & BL, EL, sunt tangens, & secans complementi.

PROBLEMATA

Triangulorum rectilineorum rectangulorum.


PROBLEMA I.

Ex datis angulis propositiones laterum inuenire;

IN hoc genere triangulorum præter rectum reliqui necessariò sunt acuti, idemque per 32. primi, simul sumpti sunt æquales unirecto. Vnde fit, ut uno dato, detur quoque reliquo, quia alter est alterius complementum, hoc est, si datus subtrahatur ex quadrante, seu ex gr. 90. dabitur in eadem mensura graduum,

& mi-

& minutorum etiam reliquos, verbi gratia, in triangulo ABC, sit angulus A rectus, & B. grad. 42. ergo reliquo C, erit 48.



Quibus datis datur proportio laterum per Tabulas, non uno, sed tribus modis: Primo, si singulis lateribus assignentur sinus angulorum oppositorum, hoc est, si lateri BC, quod opponitur recto A, adscribatur sinus totus 1000000. quia sinus totus est sinus quadrantis, & anguli recti: & lateri AB adscribatur sinus 743 14. quia angulus C, est gr. 48. & lateri AC, sinus 66913. quia angulus B, est grad. 42.

Centro enim E, de-	1000000. BC
scribatur circa BC. se	34314. AB
micirculus BAC, qui	66913. AC.
per Scholium 31. ter	

tij transibit per angulum rectum A, & arcus AC, erit arcus anguli AEC. Hic autem angulus AEC, ad centrum E, duplus est per 20. tertij anguli ABC. ad peripheriam, cum ergo chorda AD, arcus AC, per defin. 9. dupla sit sinus dimidiij arcus AC. erit eadem chorda etiam dupla sinus anguli ABC. Eodemque modo erit chorda AB. dupla sinus anguli ACB. Immo & BC, chorda semicirculi BAC, est dupla sinus anguli recti: est enim semidiametri EB. dupla tota diameter BC. Lineæ autem duplæ sunt in eadem propositione cum suis subduplicibus. Ergo proportio chordarum BC, AB, AC. habent

proportionem, quam habent sinus angulorum
A. C. B. hoc est proportio trium laterum BC,
AB, AC, est ea quam paulò ante assignavimus.

Secundò, si vni ex lateribus angulum rectum continētibus verbi gratia: LATERI A.B., tribuatur sinus totus 100000. Erit alterum latus AC. tangens anguli oppositi 90040. nempè tangens g. 42. & BC. erit eiusdem anguli secans 334563.

Tertiò, denique si sinus totus 100000 tribuatur lateri AC: erit alterum latus AB, tangens anguli C. 111061. nimirum tangens g. 48; & BC. erit eiusdem anguli secans 149448.

Neque opus est in hoc negotio sapiūs paginas tabulae voluere, atque reuoluere. Inuentis enim gradibus, & minutis vnius anguli in vna paginarum, verbi gratia dextra, alter habetur in sinistra; & omnes numeri præter finum totum, qui per se notus est, hoc est, illi qui lateribus trianguli sunt adscribendi, reperiuntur in vna, eademque linea transuersali: è regione minutorum. Quod, autem verbi gratia AC, BC, respectu sinus totius AB, sicut tangens, & secans anguli B, probatur hoc modo. Inter intervallo BA, describatur circulus; arcus enim AD, erit arcus anguli B. eiusq. tangens, & secans erunt AC, BC. per definit. 5. & 7. respectu sinus totius AB. Et similiter AB, CB. erunt

tan-

tangens, & secans anguli C. respectu sinus totius AC, si centro C. interuallo CA, describetur alius arcus AF.

APPENDIX.

Pro Triangulis Obliquangulis.

Hoc problema est commune etiam triangulis acutangulis, & obtusangulis. In omnibus enim proportio laterum est eadem, quæ sinuum angulorum ipsis oppositorum. Huiusmodi sunt triangula ABC, in duabus hisce figuris, acutangulum in priore, in posteriore obtusangulum; & utriusque circumscriptus est circulus per 5. quarti, atque ex eius corollario constat centrum circuli D. in priori figura cadere intra triangulum, in posteriori extra. In utraque



etiam figura tam laxera, quam arcus secti sunt bifariam in punctis E, F, G, & H, I, K. Dico igitur proportionem lateris AB, ad AC, esse proportionem sinus anguli ACB, ad sinus anguli ABC. Angulus enim ADB, cuius arcus est AHB, duplus est anguli ACB, per 20. tertij.

Ergo semissis arcus AB, hoc est, AH, est arcus anguli ACB. Huius autem arcus AH sinus est AE, semissis chordæ AB, ergo AE est sinus anguli ACB. Eodemq. modo AF est sinus anguli ABC. Cum igitur ut AE, ad AF, Semissis ad semissem, ita sit per 15. quinta dupla AB, ad duplam AC; manifestum est proportionem AB, ad AC; esse proportionem sinuum angulorum oppositorum ACB, ABC, &c. Eadem enim est ratio reliqui lateris. Est enim similiter BG, sinus arcus KB, & arcus KB, est arcus anguli BAC siue angulus BAC, sit acutus, siue obtusus. In secunda enim figura recta BG, est sinus anguli BKC, qui cum angulo obtuso BAC, compleat duos rectos per 22. tertij. Duo autem arcus compleentes semicirculum, nec non duo anguli compleentes duos rectos habent eundem sinus. ergo BG, sinus anguli BKC, est etiam sinus anguli obtusi BAC.

Scholium.

Quod si duo tantum anguli dentur, facile habebitur tertius, si aggregatum duorum subtiliatur ex duobus rectis, hoc est, ex gradibus 180. reliqui enim gradus, definiunt tertium.



Si autem unus detur angulus v. g. A. Grad. 60. & reliquorum B, C. proportio sit. ut 5. ad 7. colligentur primum duo termini 5. & 7, in unam summam 12. & hæc habebit ad eosdem terminos 5. & 7. eandem

ratiō-

ratione in quam habet aggregatum duorum B, C, ad eosdem angulos B. C. Angulus autem A grad. 60. subtractus ex gradi 180. reliquit pro aggregato angularum B.C. grad. 120. ergo grad. 120. habet ad angulos B. C. rationem, quam 12. ad 5. & 7. Atque adeo si fiat ut 12. ad 5. & 7. ita grad. 150. ad quadruplum invenientur per regulam trium pro angulo B. grad. 50. & pro angulo C. gradus 70.

Postremo similiter definiuntur singuli anguli; si unius tantum anguli datur proportionis ad reliquos. Ratio enim anguli A, ad B, sit exempli gratia, ut 6 gradi. Et ratio eiusdem anguli A, ad C, sit ut 24. ad 28. Est primum, ut 24. ad 28. ita angulus A. 6. ad 7. Sic enim habebit eadem proportionem. Et ibus terminis. eruntque anguli A, B, C, ut 6. gradi. & summa omnium angulorum spes 18; erit aggregatum octavum trium. Et quia idem aggregatum in gradibus est grad. 180. si fiat, ut 18. singillatum ad 5. 6. 7. ita grad. 180. ad 60. 50. 70; invenius erit angulus A grad. 60. B. 50, & C. 70. & ita de alijs proportionibus assignatis.


PROBL. II. Utrumque Latus.

Ex base & alterutro angulo acutum acutarum.

Hoc est ex base, & omnibus angulis; alter enim acutus, est dati complementum, & reliquus est rectus. Basis autem nomine accipitur tum hic tum in sequentibus latus trianguli recto oppositum.

Exem-

Exemplum. Præter angulum rectum A. datus sic angulus B gr. 60. min. 20. & consequenter reliquus C. grad. 29. min. 40. & basis BC.



sit palmorum 56. Quæritur quoct palmorum sint AB AC. Tribuatur basi BC, sinus totus 100000. eritque per præcedēs problema AB, C sinus anguli C. grad. 60. min. 20. partium 86892.

Atque ita habebitur proportio BC, ad AB, & AC: & quia BC. datur, dabuntur per regulam trium in ijsdem palmis etiam AB, AC. ut vide-re est in sequenti formula.

$$\begin{array}{rcccl} BC \text{ sinus totus.} & AB. \text{ sinus.} & BC. \text{ pal.} & AB. \text{ palm.} \\ & & \text{anguli C.} & & \\ 100000. & 49495 & 56. & 27\frac{71739}{100000} & \end{array}$$

$$\begin{array}{rcccl} BC \text{ sinus totus.} & AB. \text{ sinus.} & BC. \text{ pal.} & AC. \text{ palm.} \\ \text{angul. B,} & & & \\ 100000. & 89892. & 56. & 48\frac{65953}{100000} & \end{array}$$

Posset quidem hoc ipsum problema solvi etiam per Tangentes, & Secantes. adscribendo sinus totum lateri AB, vel AC, iuxta præcedens problema; sed quia hic in regula trium. primum locum debet occupari basis BC; ideo ipsi potius attribuitur sinus totus quam lateri-
bus, quia hac ratione liberamur à diuisione. Quotiens enim diuisionis, hoc est, numerus quartus, qui quæritur habetur, si à summa multiplicationis secundi termini per tertium.

sepa.

separentur tot figuræ dextræ, quæ sunt cifræ insinu toto. Reliquæ enim figuræ numerant palmos, lateribus AB, AC, debitos: & figuræ separatae constituunt Numeratorem, & sinus totus Denominatorem cuiusdam fractionis, quæ una cum palmis integris constituit totum numerum quartum proportionalem, hoc est, eum, qui per regulam trium inuestigatur.

PROBL. III. LATVS.

Ex base, & altero latere.



tum BC. 3136.
æquale est quadratis AB, AC,
simil sumptis.

Et Quadratum
AB, sublatum
ex quadratis

AB, BC, relinquet quadratum AC, 2352.
eiusque radix quadrata dabit latus AC, palm.
 $48\frac{497}{1000}$, &c.

Aliter per numeros Tabulæ, sine extractione
radicis quadratae. Fiat primò, ut BC, pal. 56.
ad AB. palm. 28. ita BC, sinus totus 100000.

Basis BC, sit iterum
palm. 56. & latus AB
ponatur esse palm. 28. Quoniam
igitur triangulum
ABC, habet rectum A. Er-
go per 47. primi quadra-

$$\begin{array}{r} \text{BC. } 56. \\ \text{AB. } 28. \end{array} \quad \begin{array}{r} Q. 3136. \\ Q. 785. \end{array}$$

$$\begin{array}{r} \text{AC. } \\ \text{AC. palm. } 48 \frac{497}{1000} \end{array} \quad \begin{array}{r} Q. 2352. \\ \end{array}$$


ad quartum		
inequineturque	BC. palm.	56
AB. in parti-	AB, palm.	28
bis sinus to-	BC, sinus tot.	100000
tius partium	BC. sinus ang. C.	50000
50000. est au-	Ang. C. grad.	30
tem AB, respe-	Ang. B. grad.	60
ctu sinus totius		
BC, sinus anguli C, vt constat ex demonstratio-		
ne priimi problematis, & sinus 50000 respondet		
in tabula grad. 30. Ergo angulus C. est gr. 30.		
& consequenter reliquus B, grad. 60. tuius si-		
nus est latus AC		
respectu eiusdem	BC. sin. tot.	10000
sinus totus BC.	AC. sin. ang. B. 86603.	
Quare si iuxta pra-	BC, palm.	56
xim primi proble-	AC. palm.	48 $\frac{49762}{100000}$
matis fiat, vt BC.		
sinus totus 100000. ad AC. sinum anguli B.		
grad. 60. hoc est, ad 86603. ita BC, palmo-		
rum 56. ad quartum. Hic quartus numerabit.		
AC. in pal. ostendetur. constare pal.	48 $\frac{49762}{100000}$	
vt prius.		

Nota. Priorem regulam sinum coincidere cum praxi problematis septimi. Illic enim inuenitur angulus, ex base, & latere illi angulo opposito.



PROBL. IV. LATVS.

*Ex altero latere, & ex angulo acuto, ac
proinde, ex utroque; atque adeò
ex omnibus tribus:*



IN triangulo ABC, ha-
bente rectum A, sit angu-
lus B, grad. 60: & conseqüe-
ter reliquus C, grad. 30. &
præterea detor latus AB. pal-
morum 28.


AB, Sinus totus	100000
AC, Tangens ang. B.	173 205
AB, palmorum	28
AC, palmorum	48 $\frac{49740}{20000}$

Dico etiam dari latus AC. Respectu enim si-
nus totius AB, latus AC, est tangens anguli B;
vt patet ex demonstratione primi problem. Er-
go si fiat, vt AB, sinus totus, ad AC tangen-
tem 173 205. ita AB, palmorum 28. ad quar-
tum; invenia erit recta AB, pal. 48 $\frac{49740}{20000}$.

PROBL. V. BASIM.

*Ex uno latere, & uno angulo acuto, ac
proinde ex altero, atque adeò ex
omnibus tribus.*


IN eodem triangulo, angulus datus sit B,
grad. 60: & conseqüenter reliquus C. gr. 30.



& latus AB, sit rursus palm. 28.
& idem latus AB, intelligatur
esse sinus totus. Hoc enim po-
sito erit BC, secans anguli
dati B, partium 200000. Ut
autem eadem BC habeatur in palmis, fiat ut
AB, sinus totus 100000
secantem anguli BC, sinus ang. B. 200000
B. 200000. ita AB, palm. 28
AB, palm. 28. ad BC, palm: 56
quartū: hic enim
numerus quartus erit BC. id palmis nem-
pè 56.

PROBLEM. VI. BASIM.

Ex vtroque latere.



Latus AB, sit palm. 28. &
AC, palm. 48. Eritque
quadratum AC, 2304. & quadra-
tum AB, 784. & simul sumpta,
hoc est quadratum BC, (quod
per Pythagoricam æquale est duobus quadratis
AB, AC,) erit 3088. & radix ipsius quadrata
erit BC: est autem dicta radix $55\frac{17}{100}$. Ergo
BC. est palmorum $55\frac{17}{100}$.

Aliter per numeros Tabulæ. Primo inuenie-
tur ex vtroque latere alter angulorum acutorum
hoc modo, etq. praxis prubeml octau. Respe-
ctu enim sinus totius AB, recta AC, est tan-
gens anguli B. est autem proportio AB, ad AC


data

data in palinis, hoc est AB ad AC, est ut 28. ad 48. ergo per regulam trium dabitur quoque tangens AC. si fiat ut 28. ad 48. ita AC, sinus totus 100000. ad quartum. Quartus autem numerus est $171428\frac{1}{2}$ & huic in tabula respondent proxime gr. 59. m. 44. ergo angulus B est grad. 59.m.44. & reliquus C, gr. 30.m.16.

Deinde ex latere v.g. AB & angulo B, inueniatur basis BC, ut dictum est in problemate praecedenti.

PROBL. VII. ANGVLVM.

Ex base & uno latere.



Basis BC sit pal. 56. AB 28.
& eadem basis BC, intel-
ligatur esse sinus totus. eritque
AB respectu eiusdem sinus to-
tius sinus anguli C. Et hic sinus
habebitur si fiat ut BC, BC, pal. 56
56.ad AB, 28. ita BC AB, pal. 28
sinus totus 100000. BC,sin.tot. 100000
ad quartum nempe ad AB,sin.ang.C.50000
50000. sinus igitur anguli C, est 50000. & angu-
lus C, gr. 30.

PROBL. VIII. ANGVLVM

Ex ytreoque latere.



Acus AB, sit palm. 28.AC
48. ipsique AB tribuatur
sinus totus. igitur AC respectu
huius sinus totius erit tangens

I 3 anguli

anguli B, & hæc tangens habebitur si fiat ut A.B.		
p. 28. ad AC p. 48. ita AB sinus totus 100000.		
ad quartum, hoc est ad AC, quatenus est tangēs		
anguli B. AB, pal. 28		
Quartus autē AC, pal. 48		
proportionalis AB, sinus totus 100000		
est $171428\frac{1}{2}\frac{6}{7}$ AC, Tang ang. B, $171428\frac{1}{2}\frac{6}{7}$		
eique respondent gr. 59. m. 45. Ergo totidem		
graduum est angulus B.		

P R O B L E M A T A

Triangulorum rectilineorum Ob- liquangulorum .

P R O B L E M A I X.



Segmenta lateris à perpendiculari facta
Ex omnibus tribus lateribus datis.

IN triangulo Aequilatero, & Isoscelio, perpendicularis demissa in basim, secat ipsam bifariam per 3. tertii.

In triangulis rectangulis, latera circa rectum sunt sibi inuicem perpendicularia, & ideo segmentum à perpendiculari factum est vnum tantum, hoc est, ipsam latus in. quod cadit perpendicularis.

Quando vero perpendicularis descendit ex angulo recto, & quando in triangulis non rectangulis latera ipsi perpendiculari conterminant inequalia, tunc segmenta basis inueniuntur hoc modo.

In



In triangulo ABC, latus AB, sit 13. AC 20. & in priori figura basis BC, sit 21. in posteriore 11. Centro A, interualllo minoris lateris AB, describatur circulus secas maius latus AC, in F, idemque productum in G, ita ut tota GC, hoc est aggregatum duorum laterum sit 23. idem circulus fecet quoque reliquum latus BC alicubi in E, siue intra siue extra triangulum. secabitur autem semper recta BE à perpendiculari AD bifariam in D, per 3. tertij: & per 36. eiusdem rectangulum GCF, hoc est id quod producitur ex GC, 33. in CF, 7. hoc est rectangulum 231. erit æquale rectangulo BCE. Huius autem rectanguli BCE, 21. EC. 11. BC vnum latus datur nempe BC, in priori quidem triangulo 21. in posteriori vero 11. Diviso igitur rectangulo BCE 231 per 21. & 11. quotiens erit alterum latus, hoc est recta EC, in priore divisione 11. in posteriore 21. Et quia in priore quotiens 11. hoc est recta EC, est minor base BC, inde recte colligitur perpendicularem AD, cadere intra triangulum; & in posteriore cadere

13. AB

20. AC

33. GC

7. FC

231. GCF
BCE

11. EC. 21. BC

21. EC. 11. BC

extra, eo quod quotiens EC, maior sit base BC.
Et hoc est quod in priori casu EC subtrahenda
sit ex BC, & in posteriori BC, ex EC, ut habeat-
ur BE, quæ quidem, facta subtractione inueni-
tur esse 10. eiusque medietas DB, vel DB₂, s. &
hæc eadem medietas est semper unum ex sequē-
tis basi: alterum vero nempe DC producitur,
si in priori casu dicta medietas DB addatur quo-
tiēti EC, & in posteriori eadē medietas adij-
ciatur basi BC, vel certè medietas ED subtrahā-
tur ex quotiente EC.

P R O B L. X. Duo latera.

*Ex tertio latere, & duobus angulis,
atque adeo ex omnibus tribus.*

A Ggregatum enim duorum sublatum ex grad. 180. relinquit tertium. Atque ita per Appendicem primi Problematis dabuntur

etiam proportiones laterū, si sin-
gulis lateribus assignētur sinus au-
gulorum oppositorum, ut videre
est in duabus formulis hic subie-
ctis, quarum prior spectat ad triā-
gulum acutangulum ABC, posterior ad obtusan-
gulum DEF.

G. M. G. M. G. M.
Anguli dati A 75. 45. B. 67. 23. C. 36. 52.
Sinus. BC. 96923. AC. 92310. BA. 5995
Latus datum. AB. 13.

G. M.

G. M. G. M. G. M.

Anguli dati D 30 31. E. 112.37. F. 56. 52.
Sinus. EF. 50779. DF. 92310. DE. 59995.
Latus datum. DE 13.

D



Ex quibus facile est ex dato latere reliqua deducere: si primo loco in regula trium statuatur sinus adscriptus lateri dato; secun-

E do loco sinus adscriptus lateri quæficio; & tertio loco ipsum latus datum. quartus enim numerus exhibebit latus quæsumum in partibus lateris dati.

Exemplum in quo inuenitur latus AC.

AB sinus anguli AC sinus. AB. AC.

C.

ang. B.

59995

92310. 13. 20 $\frac{13}{59995}$

PROBL. XI. Latus.


*Ex duobus lateribus, & duobus angulis
atque adeo omnibus tribus.*

Hoc problema non differt à præcedenti, nisi quod hic loco unius lateris dentur duo, ex quorum utrolibet potest satisficeri quæficio. Posuisset igitur præteriri: sed Clauium sequimur præuentem.

**P R O B L. XII. Latus
Ex duobus lateribus, & duobus angu-
lis atque adeo omnibus tribus.**

Primo ex eisdem datis inueniuntur per Pro-
bl. 14. reliqui dato anguli, & postea latus
reliquum per 11. vel 10. Problema.

**P R O B L. XIII. Latus
Ex duobus lateribus, & angulo vni eo-
rum opposito, si constet species
anguli alteri lateri oppositi.**



Exempli gratia latus AC
sit 9 BC. 10. & angu-
lus B. grad. 60. per Appen-
dicem primi Problematis fia
Vt AC.

ADBCI grad. 60. 10

Ista AC sinuus anguli B.
grad. 60. 86603
ad BC, sinuus anguli A. 96225


Grad. 74. m. 12. si fuerit acutus, vel gr. 105.
m. 48. si fuerit obtusus.

Reliquus autem angulus C, habetur, si ag-
gregatum duorum angulorum B, A, suberahatur ex
duobus rectis remanet enim angulus C.

Et hinc denique elicitur tertium latus BC,
si per 10. probl. fiat vt AC sinuus anguli B. ad
AB sinuus anguli C, ita AC, ad AB.

PROBL. XIV. Angulos duos
Ex duobus lateribus, & angulo ab
ipsis comprehenso.

In triangulo ABC, angulus B sit graduum 720. eiusq; complementum ad duos rectos, hoc est, angulus ABD, gr. 60. Latus AB, 13. & BC, 17. Sitque BD, aequalis BA, & iuncta AD, secetur bisariam in E, & lateri AC, sit parallela BF,



Eritque per 2. sexti ut CB ad BD, ita AF, ad FD, hoc est si ipsi AF, adscri-
batur numerus 17, reliqua FD, erit 13.
& tota AD, 30. respondebit aggregato duorum
laterum AB, BC, & AE, ED erunt iemissae eius-
dem aggregati, nempe 15. & BF 2. respondebit
differentia quo minus latus AB, 17, excedit se-
missim aggregati laterum AF 15. vel differentia
qua eadem semissim ED, 15. si perat minus licet
FD, partium 13. Ad hanc rectam BE, est perpendicularis
ad AD, per coroll. 3. tertij, & in triangulis
rectangulis BED, BEF, si BE fiat sinus totus,
recta ED, est tangens anguli EBD, gr. 30. quia
est semissim anguli ABD, graduum 60. Et EF, est
tangens anguli EBF, quo dabo dantur etiam
anguli BAC, BCA. His enim sunt aequales FBA,
FBD, per 29. primi propter parallelas AC, BF,
& angulus EBF, est differentia inter angulum
FBA, & semissim EBA, nec non differentia in-
ter angulum FBD, & eandem semissim EBD, co-

tius anguli ABD. Hic autem angulus differentia
tia EB^E, inuenitur, ut sequitur :

Vt ED, semissis aggregati duorum laterum,
AB, BC, hoc est ut 15

Ad EF, differentiam inter dictam semissim,
& inter latera hoc est ad 2

Ita ED, quatenus respectu finis totius BE,
est tangens anguli EBD. gr. 30. nempè 26795

Ad quartum, hoc est, ad EF, Tangentem an-
guli EBF, 3572 $\frac{2}{3}$

Cui in tabula respondent g. 2. m. 3. adden-
da angulo EBA. g. 30. & suberahenda ex angulo
EBD. Hac enim ratione inueniuntur pro angu-
lo FBA. hoc est pro angulo BAC. g. 32. m. 3.
& pro angulo FBD, sive BCA, g. 27. m. 57.

PROBL. XV. Angulos duos Ex duobus lateribus, & angulo vni eorum opposito.

Vnde Ide Probl. 13. illic enim ex ijsdem inde-
niuntur duo anguli antequam inueniatur
tertium latus.

PROBL. XVI. Tres Angulos Ex omnibus tribus lateribus.

In triangulo æquilatero singuli anguli sunt
grad. 60.


In triangulo Isoscelio, v.g. in triangulo ABC,
cuius latera æqualia AB, AC sunt partium 12.
& basis BC 10. secta basi BC, bisariam, sunt

segmen-



segmenta DB, DO partium 5. & si in triangulo rectangulo ADB, (est enim AD, ad BC, perpendicularis per 3. tertij) AB cogitetur esse sinus totus, erit BD sinus anguli BAD, fiat ergo, ut AB 1.2. ad BD 5. ita AB, sinus totus 100000. ad quartum 41666. $\frac{3}{8}$. Hic enim quartus erit sinus anguli BAD. g. 24. m. 17. eiusq; complementum ABD, necnon angulus ACB, grad. 65. m. 43. & angulus BAD duplicatus, dabit pro reliquo angulo BAC gr. 48. min. 34.

In reliquis triangulis laterum inaequalium, v.g. in triangulo ABC, cuius maximum latus est partium 21. reliqua AB, AC partium 13. & 20. linea perpendicularis AD, solec duci ad maximum latus; ita ut cadat intra triangulum, ac primo per nonum problema reperiuntur segmenta BD, DC, quæ sunt 5. & 16. secundo in triangulo sectangulo ADB per latera AB, BD inquiritur angulus DAB, ut factum est in triangulo Iso-



scelio; & similiter angulus DAC, in triangulo rectangulo ACD, ex duobus lateribus AC, CD. Horum enim complementa sunt B, & C, & reliquis angulus A componitur ex duabus DAB, DAC, ut

AB	13
AC	20
BC	21
BD	5
DC	16

DAB, g. 22 m. 37
ABC, g. 67. m. 23


dere est in hac ta-
ella.

Quando autem per-
pendicularis AD cadit

DAC, g. 53. m. 8

ACB, g. 36. m. 52

BAC, g. 75. m. 45




extra triangulum, ut contin-
git in hoc altero triâgulo ob-
tusangulo ABC in quo basis
BC est partium 11. & reliqua
latera AC, AC 13. & 20. vt
prius, computatio instituitur
uidem ut antea, sed angulus ABC, nō est com-
plementum anguli CAB, sed est complementum
anguli DBA, ad duos rectos, & angulus BAC,
ion componitur ex DAB, DAC, sed est differen-
ia inter inuentos DAC, DAB.

PROBL. XVII. Perpendicularem.

Ex omnibus tribus lateribus.

IN triangulo ABC sit AB 10. AC, 17. & BC
21. sitque inuestiganda perpendiculalis AD.
per Problema 9. reperiatur segmentum BD,
& CD 15. quorum alterutrum sufficit in præ-
senti negotio. Deinde centro B interuallo BD,
descriptus sit semicirculus EDF, eritque AF,



aggregatū lateris AB,
& segmenti BD, 16.
& AE eorundem diffe-
rentia 4. & rectangulū
FAE 64. erit per 35.
tertij æquale quadrato

perpendiculalis AD quia AD, tangit circulum
EDF, in D. Cum igitur rectangulum FAE, detur

sitque

fitque 64. erit & quadratum AD, 64. & radix ipsius quadrata 8. numerabit quæstam perpendiculararem AD.

TRIANGVLA SPHAERICA

Rectangula.

In quibus sunt plures recti, vel plures arcus perpendicularares.

Quando in triangulo sphaericō omnes anguli sunt recti: omnes tres arcus sunt quadrantes: quia cum quilibet duo transeunt per polos reliqui.

2 Quando omnia latera sunt quadrantes: omnes tres anguli sunt recti.

3 Quādo sunt duo anguli recti v.g. A, C, duo arcus AB, BC sunt quadrantes: & consequenter arcus AC est arcus anguli ABC. Vnde dato arcu AC datur quoque angulus B. Similiter ex angulo B cognoscitur arcus AC.

4 Quando sunt duo quadrantes v. g. EA, BC, & consequenter in B, est polus reliqui arcus AC: tuh etiam duo anguli A, C, sunt recti: & arcus AC est iterum arcus anguli B.

5 Fieri non potest ut in triangulo rectangulo unus tantum arcus sit quadrans. Sit enim angulus A, rectus: & primo alterutrum latetū, v.g. AC, sit quadrans, erit igitur C polus arcus AB, & consequenter etiam CB, quadrans. De-

inde

inde sic basis BC quadrans: erit igitur in AC polus arcus AB, non tamen in C, si AC non est quadrans, sed v.g. in D, ducto igitur arcu BD, erunt BC, BD, quadrantes, & B, erit polus arcus AC, atque adeo propter quadrantem BC, erit alius quadrans BA.

6 Quare cum non possit esse unus tantum quadrans, necesse est ut qui in triangulo datum quadrantem, concedat dari alterum, & saltem duos angulos rectos.

7 Quando angulus v.g. A. rectus est & nullus secundum quadrans, unus tantum est rectus. Si enim essent duo recti, essent duo quadrantes, quod est contra hypothesim.

P R O B L E M A T A

Rectangularium in quibus unus tantum est rectus.

PROBL. I. Quæritur angulus
Ex base, & latere quod angulo quæsito
opponitur.

Basis nomine accipitur hic & in sequentibus arcus angulo recto oppositus. Rectus vocatur semper litera B, quæcumque puncto, & data hoc altero signo † Demonstrationes vero omittuntur, eo quod proprium opusculum requirant, & breuitatis causa una tantum Analogia in singulis Problematibus adducitur

citur, ex sex quæ apud Clauium habentur ad finem primi libri Astrolabij in quibus omnibus ingreditur sinus totus. sine autem sinu toto, sunt adhuc totidem aliæ analogiæ.



In hoc primo triangulo inuestigandus sit angulus C, ex base AC, gr. 60. & latere AC, gr. 20.m.52.

Analogia.

Ut sinus totus .	100000
Et sinum lateris AB .	34530.
ita est secans compl. basis AB ,	115470
ad sinum anguli C .	39837

Cui in tabula pro angulo C. respōdent g. 23. m. 29. Indice B. Inuentus enim angulus erit acutus si datum latus fuerit quadrante minus, obtusus si maius, ita ut latus AB, ab Adriano Romano non immerito vocetur operationis Index, Angulus enim C, sequitur speciem & similitudinem arcus AB.

PROBL. II. Angulus
Ex base, & latere quod angulo quesito adiacet.



Angulus inuestigandus sit iterum C, basis data AC, grad. 60. & latus BC, gr. 5.m.45.

Analogia.

Ut sinus totus .	100000
------------------	--------

Ad

Ad tangentem compl. basis, AC :	57735
Ita est tangens lat. BC .	158797
Ad sinum compl. anguli C .	91681
Cui in tabula respondent gr. 23. m. 32.	

Indice BC, & AC.

Angulus enim C erit acutus si tā basis quam latas dātum quadrante maius fuerit, aut minus : obtusus vero si alterum datorum fuerit quadrante maius, & alterum minus. Hoc est similitudo indicum BC, AC, arguit angulum C acutum, distinilitudo obtusum,

P R O B L. III. Angulus

Ex base, & altero angulo non recto.



Sit iterum inuestigandus angulus C, & basis AC, sit 60.gr.vt prius, & angulus A, sit gr. 77. m. 43.

Analogia.

Vt sinus tenus :	100000
Ad sinum compl. basis AC .	50000
Ita tangens anguli A .	459283
Ad tangen. compl. anguli C .	229641
Cui in tabula respondent gr. 23.m.32.	

Indice AC, & B .

Angulus enim inuenitus erit acutus, si inter AC, & B. fuerit similitudo, hoc est si AC, sit minor quadrante, & B minor recto: vel BC maior

qua-

quadrante, & B maior recto. Si vero fuerit dissimilitudo inter AC, & B, Angulus C erit obtusus.

PROBL. IV. Angulus.

Ex latere angulo quæsito opposito, & altero angulo non recto.



Angulus inuestigandus sit
idem angulus C.
Latus datum AB g. 20. m. 12.
Angulus A g. 77. m. 43.

Analogia.

Vt sinus rotus	100000
Ad sinum anguli A	97711
Ira est sinus compl. lateris AB.	93849
Ad sinus compl. anguli C.	91704
Cui in tabula respondent g. 2 3. m. 32.	

Indice AB.

Inuentus enim angulus C, erit acutus, si latus datum fuerit quadrante minus: obtusus si maius.


PROBL. V. Angulus.

Ex latere, quod anguli quæsito adiacet, & altero angulo non recto.

Divisendo constet, num quæsitus angulus major sit recto, an minor: vel an basis, & alterius alterum non datum, quadrante maius sit, minusve.

Angu-

-latus.




	Analogia
Vt sinus totus	100000
Ad secantem lateri BC	187662
Ita est sinus compl. anguli dati A.	21275
Ad sinum anguli C.	39925
Cui in tabula respondent grad: 23. m. 32.	

Indice AB, vel AC, & A.

Angulus enim inuentus erit acutus, si alterum latus non datum nempe AB, quadrante fuerit minus; obtusus, si maius. Item si basis AC fuerit minor quadrante, & datus angulus A, acutus; vel si basis AC, fuerit maior quadrante, & angulus obtusus, erit etiam C acutus. Denique si inter basim AC, & angulum A, fuerit dissimilitudo; erit angulus C obtusus.

PROBL. VI. Angulus.

Ex unoque latere circa angulum




Analo-

Analogia.

Vt sinus totus	100000
Ad sinum lateris BC. adjacentis	84619
Ita est tangens complementi latè, AB oppositi.	271792
Ad tangentem complementi an- guli C.	329988
Cui in tabula respondent g. 23. min. 30.	

Index AB.
Angulus enim C. est acutus, si datum latus AB, fuerit minus quadrante: obtusus vero si maius. Hoc est inter AB, & D, est perpetua similitudo.

PROBLEM. VII. Latus.*Ex base, & altero latere.*

Latus quod queri- tur	AB
Basis data AC.	g. 60. m. 00
Altarum latus datum BC.	g. 57. m. 48

Analogia.

Vt sinus totus	100000
Ad secantem dati lateris BC.	186661
Ita est sinus compl. basis AC	50000
Ad sinum compl. lateris AB.	93830
Cui in tabula respondent g. 20. m. 14.	

Indice AC, & BC.

Quorum similitudo arguit latus AB, esse minus quadrante: dissimilitudo vero, quadrante maius.

PROBL. VIII. Latus.

Ex base, & angulo, qui lateri quæsito
opponitur.



Latus quod quæritur AB
Basis data AB 8. 60. m. 00
Angulus datu[m] C. 8. 22. m. 30

Analogia.


Ut sinus totus	100000
Ad sinum basis, AC,	86603
Ita est sinus anguli dati C.	39875
Ad sinum lateris AB.	34533
Cui in tabula respondent g. 20. min. 302.	

Judice C.

Latus enim AB, est semper simile angulo
opposito.

PROBL. IX. Latus.

Ex base, & angulo, qui lateri quæsito adiacet.



Latus quod quæ-
ritur AB
Angulus A datus g. 77. m. 43
Basis data. g. 60. m. 00

Analogia.

Vt sinus totus.	100000
Ad sinum compl. anguli A.	21275
Ita est tangens basis AC.	173205
Ad tangentem lateris AB.	36849
Cui in tabula respondent grad. 20. min. 14.	

Indice AC, & A.


Erit enim latus AB, quadrante minus, si ba-
sis AC minor fuerit quadrante, & datus angulus
ecutus, aut si basis fuerit quadrante maior, &
angulus A. obtusus. Ita ut sit similitudo inter
AC, & A: cum vero fuerit dissimilitudo, erit
arcus AB, quadrante maior.

PROBL. X. Latus.

*Exaltero latere, & angulo qui quæsi-
to lateri adiacet.*

Si modo constet num quæsumum latus, sit
quadrante maius, an minus; vel an alter
angu-

angulus non rectus sit acutus, obtususve, vel
denique num basis sit quadrante maior, vel
minor.



Latus quod quaeritur

Angulus datus

A.

Latus datū BC.

AB

g. 77. m. 43

g. 57. m. 48

Analogia.

Vt sinus totus	100000
Ad tang. compl. anguli A.	21773
Ita est tang. lateris BC.	158797
Ad sinus lateris AB.	34575
Cum in tabula respondent gr. 20. min. 14.	

Indice C, vel AC, & BC.

Quando inter AC, & BC. est similitudo tunc
arcus AB, est minor quadrante, quando vero
est dissimilitudo, tunc arcus AB, est maior qua-
drante.

PROBL. XI. Latus.

Ex altero latere, & angulo, qui lateri
quaesito opponitur.



Latus quod quaeritur

Latus datum

BC.

Angulus datus C.

AB

g. 57. m. 48

g. 23. m. 30

Ana-

Analogia.

Vt sinus totus	100000
Ad sinum lateris dati	84639
Ita est tangens anguli C dati	43481
Ad tangentem lateris AB.	36793
Cui in tabula respondent g. 20. min. 12.	

Indice C.

Est enim similitudo inter angulum C, & latus AB.

PROBL. XII. Latus.

Ex utroque Angulo non recto.



Latus quod que-
ritur AB
Angulus datus C. g. 77. m. 43

Angulus datus C.. g. 23. m. 30

Analogia.

Vt sinus totus.	100000
Ad secantem compl. anguli A.	102343
Ita est sinus compl. anguli C.	91706
Ad sinum compl. lateris AB.	93855
Cui in tabula respondent g. 20. min. 12.	

Indice C.

Ita vt sit similitudo inter C. & AB.

PROBL. XIII. Basis.

Ex latere, & Angulo ei adiacente.

Basis inueniti.
B ganda
Angulus A da-
tus
Latus AB,datū

AC

g. 72. m. 43
g. 20. m. 12

Analogia.

Vt sinus totus	100000
Ad sinum compl. anguli A.	21275
Ita est tang. compl. lateris AB.	271792
Ad tang. compl. basis AC.	52824
Cui in tabula respondent grad. 59.	
min. 58.	

Indice i. A B, & C.


Quorum similitudo arguit basim AC, esse quadrante minorem, dissimilitudinem maiorem;

PROBL. XIV. Basis.

Ex latere, & Angulo ei opposito.

Modo constet num basis quadrante maior sit, vel minor; aut an alter angulus non datus sit acutus, obtususve, aut denique num alterum latus non datum, minus sit quadrante, an maius.

Basis



Basis inuestiganda	AC
Angulus datus A	g. 77. m. 43
Latus datum BC	g. 57. m. 48

Analogia.

Vt sinus totus.	100000
Ad secant. compl. anguli A.	302345
Ita est sinus lateris BC.	84619
Ad sinum basis AC.	86602
Cui in tabula respondent gr. 60. m. o.	

Indice C, & A, vel AB, & BC.

Tam enim similitudo C, & A, quam AB, & BC, arguit basim AC, eide quadrante minorem, & dissimilitudo maiorem.

PROBLEM. XV. Basis.

Ex utroque latere.



Basis inuesti-	AC
ganda	
Latus datum AB. g. 20. m. 22	
Alterum latus da-	
tum BC. g. 47. m. 48	

Analogia.

Vt sinus totus.	100000
Ad finum compl. lateris AB.	93849
Ita est sinus compl. alterius late-	
ris BC. 53288	


Ad finum comp l. basis AC. 50010
 Cui in tabula respondent gr. 60.
 min. 0.

Indice AB, & BC.

Quorum similitudo arguit basim AC, esse
 quadrante minorem, dissimilitudo maiorem.

PROBL. XVI. Basis.

Ex utroque Angulo non recto.



Basis inuesti-
 ganda AC
 Angulus datus A. g. 77. m. 43
 Alter angulus da-
 tns G. g. 23. m. 30

Analogia.

Vt sinus totus	100000
Ad tangen. compl. anguli A.	21773
Ita est tang. compl. alterius an- guli C.	229984
Ad finum compl. basis AC.	50074
Cui in tabula respondent gr. 59. min. 57.	

Indice A, & C.

Quorum similitudo arguit basim AC, esse
 minorem quadrante: dissimilitudo maiorem.

Trian-


TRIANGVLA SPHAERICA

Obliquangula.

PROBLEM. XVII.

Dato aggregato duorum arcuum, vel angulorum, quod grad. 180. minus sit, vnde cum proportione, quam eorumdem sinus habent: utrumque illorum efficere notum.

Hoc problema non differt à 12 problema rectilineorum, nisi solo modo proponendi. Aggregatum enim duorum Angulorum BAC, BCA, est angulus ABD, & in lateribus BA, BC, habetur, vel datur proportionis sinus anguli BCA, ad sinum anguli BAC, & hæc est eadem cum proportione DF, ad FA, &c. & ex istis datis inuenitur denique singilla tim vterq. angulus BAC, BCA: vnde non est, quod hic iterum eadem repetamus.



PROBL. XVIII.

Dato aggregato duorum arcuum, quorum singuli semicirculo sint minores; vel angulorum, quod minus sit duobus rectis, vnde cum proportione sinuum: utrumque eorum notum efficere.

Deracto hoc aggregato ex toto circulo, hoc est, ex grad. 360. supererit aliud aggregatum semicirculo minus, cum eadem proportione sinuum data. Si igitur huius aggregati velerque arcus, vel angulus inuestigetur, ut dictum est in praecedenti; & velerque inuentus ex semicirculo grad. 180. tollatur: noti sient duo arcus, vel anguli quæsiti.


PROBL. XIX.

Data differentia duorum arcuum, quorum singuli semicirculo sint minores, vel duorum angulorum similius, vnde cum proportione, quam eorum sinus habent: utrumque seorsim cognoscere.

PRaxis huius problematis, prout proponitur ad ultimum lemma Astrolabij indiget cor.

rectio-

rectione, quam subministrat propositio 7. triangulorum rectilineorum olim cum Sphaericis Theodosij à Claudio editorum. Estq. talis. Differencia data sit arcus AE, vel angulus ACB, grad. v. g. 60. & proportio sinuum sit data, v. g. in terminis 11, 5. quorum differentia est 6. & hæc attribuatur chordæ AB, eique intelligatur adiecta BE, earundem partium 5. Hac enim ratione tota AE, erit 11. & proportionis sinus erit, ut AE, ad BE. Et si in cognita erit alia recta DB, composita ex DB, v. 3. nempè ex semissim differentiæ AB, & ex minore termino proportionis datæ, hoc est, ex BE 5. vndè DE, est 8. & proportio DB, ad DE. ut 3. ad 8. & hæc est proportio, ex qua elicuntur duo arcus, vel anguli questi, nempè arcus AF, FB, quos in praesenti figura definit recta CE, secans circulum in F. Hi enim duo arcus AE, FB differunt arcu AB, & eorum sinus AH, BI, habent eandem proportionem, quam AE, habet ad EB. Eadem enim recta DB, DE respectu sinus totius CD, sunt tangentes angulorum DCB, DCE, quorum illa datur, quia est tangens anguli DCB, gradus 30. nempè tangens semissim datæ differentiæ. hoc est, anguli, ACB, vel arcus AB, grad. 60. Ergo per regulam trium dabitur quoque DE, tangens anguli DCE.



Si fiat, vt DB medietas differentiae terminorum, hoc est, vt

Ad DE, compositam ex eadem
mediata, & minore termino,
hoc est ad.

Ica DB tangens anguli DCB,
semidis anguli differentiae datæ
nempe

Ad quartum, hoc est, ad DE,
tangentem anguli DCE.

Cui in tabula respondent gr.
57. min. 31.

Atque hic angulus D C E, vna cum angulo
DCA, grad. 30. componit totum angulū VCB,
vel totum arcum AF, & angulus DCB. itidem
grad. 30. ablatus ex eodum angulo DCE, re-
linquit angulum BCE, nec non arcum FB.

Et hæc est praxis, quando proporcio sinus
data est majoris inæqualitatis, si autem propor-
tio data est minoris inæqualitatis, tunc loco at-
cum AF, FB, dicto modo iuuentorum acci-
pienda essent ipsorum complementa ad semi-
circulum; hoc est arcus GB, GA, hi enim duo
arcus habent eandem differentiam AB,

& proportio sinus est, vt 3. ad

11. In hoc enim casu arcus

major habet minorem

sinum BI. & minor

habet maiorem

sinum

AH.

P R O B L E M . X X .

Datis omnibus tribus angulis trianguli Sphaerici obliquanguli; singula latera inuestigare.

Plures sunt huius problematis solutiones, ego eam hic adducam, quæ ipsi communis esse potest cum sequi ēti, si anguli transmutentur in latera, imaginando aliud triangulum sphæri cum, in quo unum latus sit complementum ad semicirculum illius arcus, qui metitur maximum angulum, & reliqua duo latera sint ipsimet arcus duorum angulorum reliquorum. Vt si exēpli gratia in triangulo ABC, angulus maximus sit A. grad. 108. quoniam eiusdem complementum ad duos rectos est angulus CAB. grad. 72. totidē gradum intelligetur esse latus EF, in alio triangulo EFG. Et si reliqui duo anguli B. & C. sint gr. 67. & 52. totidem gradus tribuerunt reliquis duobus lateribus EG, EF. Atque ita in triangulo EFG, erunt omnia tria latera cognita, & consequenter per sequens problema 21. notient omnes tres anguli G, E, F. Et complementum quidem anguli G. ad duos rectos numerabit arcum BC. angulus vero E, arcum AB. & angulus F, arcum AC, vt videbimus in sequenti problemate, cuius exemplum erit hoc ipsum triangulum EFG..



PROBLEM. XXI.

Datis tribus lateribus trianguli sphærici obliquanguli; quemlibet angulum indagare.

IN triangulo GEF, latus EF, sit grad. 72. latus GF. 52. & GE. 67. & primò ex duo bus lateribus GE, GF, & basi EF, inuestigandus sit angulus G. huic basi oppositus.

Subtrahatur minus latus 52. ex maiori 67. & differentia 15. adscribatur suus sinus versus 3407. basi quoque EF, adscribatur suus sinus versus 69098. & minor subtrahatur ex maiori, & differentia.



EF gr. 72.	Sin. ver. 69098
------------	-----------------

GE gr. 67.	Sinus 92050
GF gr. 52.	Sinus 72801

Differentia lat. gr. 15	Sinus ver. 3407
-------------------------	-----------------

Differentia sinus vers.	65691
-------------------------	-------

horum sinuum versorum nēpē 65691. scribatur seorsim. Denique lateribus GE, GF, adscribantur Sinus 92050. 78801. vt videre est in tabelle hic affixas & per duas regulas trium inueniantur duo termini quarto loco proportionales secundum duas analogias infra scriptas.

Pri-

Primo.

Vt sinus totus	100000
Ad sinum arcus GE	92050
Ita fiat sinus arcus GF.	78801
Ad quartam proportionalem.	72536

Secundo.


Vt quartus proximè inuentus.	72536
Ad sinum totum	100000
Ita fiat differentia sinuum versorum	65691
Ad sinum versum anguli G.	90563

Qui subtractus ex sinu toto relinquit 9473
Sinum complemēti anguli G. Huic autem sinui
complem. respondent in tabula grad. 84. min.
35. tot ergo graduum, & minutorum est an-
gulus G.

Et quia huic angulo æqualis est, vt in præce-
denti problemate complementum ad duos re-
ctos arcus CB, & subtractis g. 84.m.35.ex 180.
remanent grad. 95. minut. 25. sequitur vt ar-
cus BC in triangulo præcedentis problematis
sit, grad. 95. min. 25.

Eodem modo inueni-
tur ex duobus lateribus
FG, FE, & tertio latere
EG, angulus F; & ex duo-
bus lateribus EG, EF, &
tertio latere GF, angu-
lus E, ille gr. 74. m. 29.

hic verò grad. 15. min. 33. & hi ijdem gradus,
& minuta numerant in triangulo ABC. præce-



dentis problematis latera AC, AB, hoc est AC erit grad. 74. minut. 29. & AB, grad. 55. minut. 33.

Quando duo latera sunt æqualia, tunc arcus differentiæ est nullus, & nullus ipsius sinus versus. Ergo neque differentia sinuum versorum. Et idèò in hoc casu in posteriori regula trium, tertium locum occupabit, non differentia sinuum versorum, sed sinus versus tertij arcus, &c.

Aliter.



Ex angulo A, quem continent æqualia latera AB, AC, demissus sit arcus perpendicularis AD: eritque tam angulus A, quam basis BC, sexta bifariam, eruntque facta duo triangula rectangula ADB, ADC, penitus æqualia: & in triangulo, v. g. ADB, præter rectum D, data erit basis AB, & latus BD, semissis totius basis BC. Quare per primum problema triangulorum sphæricorum rectangulorum dabitur quo-

que angulus DAB, lateri BD. oppo-

situs, & per secundum angulus

DBA, qui eidem lateri

DB, adiäacet, ex qui-

bus noti etiam

sunt an-

guli.


DAC, DCB, & ro-

tus BAC.

†.

PROBLEM. XXII.

Datis in triangulo sphærico obliquangulo duobus lateribus cum angulo ab ipsis comprehenso; reliquum latus eum reliquis duobus angulis inquire.



